

EDICTUM

AD LITTERAS RESTITUENDAS

provehitur a



Centro Nazionale di Studi Classici
GRECOLATINO VIVO
Litterae Principium Sapientiae



in linguam Latinam versum ab
Alexandro Magistro Agus
'Direttore Scientifico'
Istituto Italiano di Studi Classici

Romae datum, mense Augusto anno MMXX

Humanitatis cultus atque litterarum studium facit ut ad instituta doctrinasque quae in bono animo erigendo multum possunt expeditior pateat aditus.

Hanc sequentes viam, credimus illis, qui in artes incumbunt liberales, officium esse non solum vitam secundum bonum et honestum degere, etiam vero miseris, qui insidiis ac nequitiis opprimuntur, succurrere.

Hoc per *Edictum* nobis in animo est respuere atque damnare quodque scelus quo feminae segregentur a viris, vel pauperes a divitibus, vel indocti a sapientibus; praeterea damnandam dicimus quamlibet vim, et corpori et animo inlatam.

Itaque:

1. Affirmamus ponimusque eadem esse ornatos dignitate et mares et mulieres; adicimus igitur nos maiore cum diligentia nihil aliud curare quam ut quaeque femina sive puella ad cursum studiorum accedat.

Minime probamus involutum in feminas odium illius qui profiteatur modo coram pueris vel viris adeo ut, stultissimas hauriens et execrandissimas doctrinas, ab auditorum numero mulieres removeat.

2. Affirmamus ponimusque litterarum ludos et magistros sinceros fidelesque illos esse qui ab hominibus se non relegant, immo etiam qui, ut progrediantur ac semitam illustrent, in hominum societate luce fruuntur.

Nullo probamus modo falsam ac duram opinionem et consuetudinem illius qui docet studia coli posse dummodo secedamus atque hortatur ut viri docti a coetu hominum abhorreant, a turba profana cum putet bonos plerumque corrumpi iuvenum mores.

3. Affirmamus ponimusque veram benignitatem, quae nullum appetit emolumentum, niti ut quisque gratiae recordatione liberetur neve in perpetuum quis beneficio alligetur. Ergo credimus quamquam discipulis esse magistri adeundi facultatem, si opus fuerit, tamen eis semper licere non solum de magistri sententia desistere, verum etiam ab hoc discedere, quotiescumque lubebit.

Nullo probamus modo turpem fraudem illius qui persuadet discipulorum contubernium, cuius magistri expertes non sint, viam esse necessariam ad iuvenes educandos. Haec contubernii norma vel una comedendi, vel una quiescendi, vel una pernoctandi consuetudo, facile perturbatione quadam adulescentium animos afficere poterit, eo pacto ut aliquid detrimenti capiat ipsa institutio litteraria. Praecipue ubi opinati et ficti magistri, simulata magnanimitate ac fucata, impensa sua discipulorum victum cultumque suppeditant, ibi diuturna cum magistris consuetudo facile efficit ut discipulorum animi, ad gratiam referendam cum pellantur, libertatem suam obliviscantur neve iure moreque gratia contineatur.

4. Affirmamus ponimusque commune omnium gentium *humanitatis cultum* bonum esse, fructus quasi cum sit natus in corde omnium aetatum hominum qui ab ortu solis usque ad occasum vivunt.

Nullo probamus modo infidam et perfidam superbiam illius qui surgit, sacri custodis persona indutus, ad litteras humanas tuendas, tantummodo ut despicienti sibi bona communia surripiat, a se quidquid in mundo sit boni verique proficisci et oriri cum putet.

5. Affirmamus ponimusque cuiusque hominis voluntatem, quae secundum iustitiam cum instructa sit, libere quid sentiat acturam nec vero insciam se velut provinciam esse maioris imperii neque membrum per se stans.

Nullo probamus modo insolentem iniuriam illius qui, ceteros homines liberos esse pati cum non possit et cum queratur quod non omnes se ad unum reducere sinunt, aliis imperat ut nec cupide nec ambitiose haereant quadam in summa voluntatum concordia dicitque se pugnare velle contra sententiam recentioris aetatis illam quae suadet hominem se ipsum modo diligere. Item tollendam ac redimendam arbitramur quamlibet servitutem, quae libere sentiendi cogitandique humanam facultatem haud raro funditus delet ac penitus radit, adeo ut uni sectae vel unius libidinibus animos totos subiciant.

6. Negamus divitias per se malum esse, vel potius affirmamus totam pecuniae naturam positam esse in hominum utilitate persequenda. Itaque divitiae cum sint quasi via ad hominum utilitatem, eae

refellendae et metuendae non sunt: nos autem non modo pecuniam non tollimus e mundo, etiam vero pecuniam dicimus iustitiae et honestati servire.

Nullo probamus modo mendacem errorem illius qui amentem in modum atque immodice improbat omnia quae pertinent ad machinas vel artificia et ad res venales, eo consilio ut suam defendat falsam humanitatis doctrinam. Tum iubet iste humanam familiam a rebus mercatoriis discedere quod animi mentisque dignitati tales res officiant.

7. Affirmamus ponimusque viri probi officium esse iustam solvere mercedem pro quoque opere vel labore, etiam si quis rebus civilibus aut iuvenum institutioni operam dat.

Nullo probamus modo vesanam fallaciam illius qui nostris temporibus quaestui homines habet, nam ne peculium quidem sociis comitibusque dat, quoniam pluris aestimat operam quam homo gratuito ac sua sponte dat, ita ut quoddam assequatur commenticium et fictum bonum.

8. Omnium primum, omnibus viribus reicimus atque repellimus doctrinam illam “*olarrenismo*”, quae Italice nuncupatur, a sapienti viro nomine *Giorgio Punzo* et rerum naturalium perito inventam ac traditam quibusdam tunc iuvenibus discipulis, quos maiore familiaritate sibi ille coinuxerat. Nam iuvenes illi, cupidi cum essent utriusque sermonis discendi, triginta ante annos, eadem in domo una cum magistro Vivara in insula vivebant.

Doctrina ista, a quodam naturae muliebris contemptu cum proficiscatur, solum amorem candidum esse illum qui erga iuvenem discipulum in magistri adulti corde et colatur et excitetur turpiter docet flagitioseque.

Quibus immanibus et crudelibus auditis, nos stupentes valde oppugnamus omnes eius generis sententias et nullo probamus modo quemlibet hominem aut quodlibet institutum novum quod, sive palam sive clam, huius doctrinae et viri vestigia premat.

Omnes ideo feminas et viros bonos oramus, maxime eos quibus curae est ars Latine Graeque modo vivo docendi, ut stantes iniquitati et cupiditatibus paucorum, qui litterarum antiquarum splendori nocent, resistant. Angoribus cum occupentur et pericula cum impendeant eis, viri et feminae aut oculos avertent et caput dimittent aut animis erectis denuo se in libertatem vindicabunt.

Talia cum hic scripserimus, omnium coniungere vires velimus, eo consilio ut exoriatur concordia quaedam quae et verbis et operibus studia liberalia defendat foveatque.

Itaque hac omnium frugi hominum concordia hodie nascitur et crescit *Societas ad Litteras Restituendas*.